

18
-12
37
1712, 1.

**LICITAM ESSE
MEDII LOCI OC-
CUPATIONEM**

EX

1750
**NECESSITATE
FACTAM,**

CONSENSU FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,

PRÆSES

M. JOHANN ARND,

Dantiscanus,

&

RESPONDENS,

PAULUS MATTHIAS Wundsch /


Meva-Pruffus,

L.L. & Philos. Cultor.,

In Auditorio Maximo

ANNO M DCC XII. d. JUNII

juxta Juris Nat. principia
defendent.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Amplissimi
Senatus Typographi,

VIRIS,

PER-MAGNIFICIS, GFNEROSISS. MAXIMEQVE
STRENUIS,

DN. JOH. GODOFR. à DIESELDOFFF,
DN. JOH. NATHANAELI FERBERO,
DN. GABRIELI FRIEDER. SCHUMANNO,
DN. SALOMONI GABR. SCHUMANNO,

Inclytæ Reipubl. Dantiscanæ COSS. infigniter meritis,

vt &

NOBILISS. CONSULTISS. AMPLISSIMSQVE,
DN. CAROLO FRIEDERICO VEDDERS,
DN. GEORGIO FRIEDER. SCHRADER,

Nobilissimi Dicafterii, quod in Primaria civitate floret
Adfessoribus dignissimis,

Nec non

CONSULTISSIMO AC EXCELLENTISSIMO
DN. SAMUELI FRIED. WILLENBERG,

J. V. D. ejusdemque ac Historiarum Professori Publ. &
Athenæi Gedanensis Inspectori vigilantiff.

*Dominis Patronis Mæcenatibus ac Præceptoribus
ætterna obseruantia prosequendis,*

Has studiorum Academicorum primitias

submitte dedicat

ipsumque se commendat.

devinçtissimus cliens

PAULUS MATTHIAS Wundsch

JEHOVA AUXILIANTE!

§. I.



Non saltem Judæorum olim fuit, (a) sed etiam reliquorum populorum hodie est rex, DEUS,

§. II. Ciuitas ejusdem mundus. (b) Ciues sunt homines DEUM profitentes, (c) quos sibi habet deuinctos beneficiis creationis & conseruationis, quibus pactum, seu expressum, (d) seu tacitum potest adungi. (e)

§. III. Medium, quo spatiosissimam hanc ciuitatem moderatur, est verbum ejus rationale, (f) seu Jus Naturæ, nobis omnibus vtpote subditis promulgatum. A quo imperandi modo, alii hoc DEI regnum per naturam tale dicunt. (g)

A 2

§. IV. Jus

- (a) Hinc nota *Geographie* Israelitarum, cuius meminit Hobbes de Ciue C. 10. art. 9. sqq. Conringius de Republ. Ebreor. aliique
 (b) qui inde a Philone in Josepho *μεγαλόπολις* & ab Ariano l. 3. Dissert. Epitlet. cap. 22. *μεγάλη πόλις* dicitur. (c) Athei igitur jus Ciuitatis non habent, quia aut DEI hostes sunt juxta Hobbium de Ciue C. 14. art. 19. aut rebelles apud Pufendorf. Jure Nat. & Gent. L. 3. cap. 4. §. 4. (d) cujus specimen videmus in Abrahamo Patriarcha Genes. XVII. 7. 8. Hinc Hobbes de Ciue C. 16. regnum DEI per pactum vetus exhibuit. (e) Confer Pufend. J. N. G. L. I. C. 6. §. 9. & 12. Dissentit autem Hobs l. c. cap. 15. art. 5. substituendo potentiam irresistibilem, resutatus a Pufend. l. c. §. 10. & a Dn. Buchero Theologo Gedanensium incomparabili in Disp. de Regno Dei per naturam ab Hobbessii hypothesibus vindicaco §. 34. Dissentit quoque Amyraldus adstruendo *ἰσχυρῶς*; verum & hic refellitur a Pufend. l. c. §. XI. & Hobbiero P. 2. Digress. L. I. C. 6. §. 3. sqq. aliisque quos recenset M. Gottlieb Schelguig. Philos. ap. Dantiscanos Professor celeberrimus dum anno præterito ibidem de Atheis non imprudencia tantum, sed & iniustitia reis contra Hobbium disseruit §. 6. part. poster. (f) contradiunctum sensibili & Prophetico juxta Hobbium l. c. cap. 15. §. 3. (g) inter quos Hobbes cap. cit. quem tamen laudatus Bucherus resutauit.

§. IV. Jus illud per varias leges speciales se explicat, quibus diriguntur actiones nostræ morales, occupatæ, vel circa DEum, (h) hinc prima; vel circa me ipsum, (i) hinc secunda; vel circa reliquos homines, hinc denique tertia Juris Nat. tabula.

§. V. Ad omnes trium tabularum leges, omnes quidem obligamur, attamen cunctas non exsequimur singuli, quia materia & occasio juxta illas agendi sæpe deficit. Quilibet enim pro conditione status sui, in quo tanquam in spatio ad certas actiones determinato positus (k) agit; vnde vere dicunt; nullam actionem egredi spheram actiuitatis suæ. Jam vero in quot status distinctum est genus humanum, tot quoque dantur diuersæ actionum normæ, seu leges naturales. Hinc alias leges homo, alias ciuis, (l) & prout sub hoc generali complexu in alias iterum classes diuidimur, alias leges seruamus.

§. VI. Negotia porro humana, distinctorum inprimis statuum, cum admodum misceantur, sæpe accidit, vt collidant inter se Juris Naturalis præcepta, (m) ita, vt ex duobus saltem alterutrum possit obseruari.

(h) officia igitur DEO juxta rationem exhibenda, non sunt constitutum Theologiae Naturalis uti asseruit Pufend. in Specim. Controuers. C. 5. §. 25. Inde nec principium ejusdem quod in J. N. & G. L. 2. C. 3. §. 15. exposuit adequatum dici meretur, quia insuper ipso fatente in Offic. Hom. & Ciuis L. 1. Cap. 3. §. 13. indirecte tantum ex eodem fluunt officia hominis erga DEum. Merito igitur notatus est propterea juxta reliquos a Dn. Titio Obseru. 88. sqq. ad hunc loc. c. (i) quod est contra Dn. Thomasti Institut. Jurispr. diu. L. I. Cap. 4. §. 76. & c. Quamquam se ipsum exemplo sane laudabili ac inter eruditos rarissimo correxit in Fundament. Jur. Nat. & Gen. L. 2. C. 2. §. 1. sqq. (k) status enim cum spatio ingeniose comparatos vid. apud Pufend. Jur. N. & G. L. 1. Cap. 1. §. 6. (l) merito hinc Pufendorsius libellum suum, quo operis majoris compendium dedit, inscripsit de Officio hominis & Ciuis. Quo forte imitatur Hobbius, qui Elementa sua de Ciue in tres classes distinxit deque Libertate imperio & religione tractando officia hominis, Ciuis & Christiani distinctim exhibuit. (m) Confer Hertii Dissert. de Collisione legum Sect. 2. quæ Dissertatio in opusculis ejusdem est Tom. 1. pag. 129. sqq. add.

uari. (n) Aliquando enim præcepta primæ & secundæ tabulæ pugna-
re videntur, ex. gr. si aut in DEum impius, aut in me ipsûm vno eodem-
que actu iniquus esse cogor: (o) Interdum præcepta tabulæ secundæ
inter se certant, nimirum, si modis alias illicitis sanitatem curare, vel
vitam meam conservare adstringor. (p) Nonnunquam inter præcepta ter-
tiæ tabulæ dubium exturgit, vtpote, si patriæ simul & parentibus, vel illi
vnaque liberis suis consulere quis debeat. (q) Denique ambigua fre-
quentissime est electio, dum secundæ & tertie tabulæ præcepta concur-
runt officiaque præscribunt, seu qua personas ipsas, nempe si injustum
adgressorem, aut interficere, aut ab eodem interfici teneor; (r) seu
qua res dum pro conservatione mearum, alterius perdere, vel in vsus me-
os convertere necessitas me cogit. Et ex horum classe est præsens
thema.

§. VII. Expedi igitur, pro ratione hujus thematis, necessita-
tem initio statim describere, quod sint ejusmodi angustie, in quibus
præter culpam nostram hærentes, nostrarum rerum maxime necessariarum
conservationem aliter expedire nequimus, quam vsu rerum alteri-
us. Notandum autem probe, non capi hic necessitatem in subtilitate
physica, quasi quis vinculis compedibusque injectis trahatur, sed in si-
gnificatu morali, vbi sine latitudine aliqua, quæ entibus moralibus fre-
quenter adhæret, intelligi nequeat. (s)

§. VIII. Quæ necessitas, quid in tertie tabulæ legibus, circa
rerum proprietatem versantibus, operetur, vt constat evidentius, no-

A 3

tanda

*add. Grotius Jure Belli & Pac. L. 2. C. 16. §. 29. & Pufendorfi
Jur. N. & Ge L. 5. Cap. 12. §. 23.*

(n) non tamen juxta regulam: ex duobus malis minus eligendum.
De qua vid. Pufend. loc. cit. L. 3. Cap. 7. §. 5. in fin. *add. e Jure
Canon. C. duo mala Dist. 13. (o) Conf. Grot. l. c. Lib. 2. Cap. 19.
§. 5. n. 4. & Pufend. Lib. 2. Cap. 4. §. 19. (p) vid. Pufend. L.
2. cap. 6. §. 3. & Not. Hertii ibid. (q) conf. Hertii Dissert. de
Collis. leg. S. 2. §. 36. T. 1. Opusc. p. 160. (r) Grot. L. 2. cap. 1.
§. 3. sqq. & Pufend. L. 2. cap. 5. p. r. *add. Hertii Diss. cit. §. 3.
sqq. Opusc. T. 1. pag. 137. sqq. (s) Hinc Cicero II. de Inuent.
inter absolutam necessitatem & cum adjunctione talem distinguit
add. in primis Grot. L. 2. cap. 23. §. 1. & Lib. 3. Cap. 1. §. 2. & Pu-
fend. L. 1. Cap. 2. §. 10. Lib. 2. C. 5. §. 9. & Cap. 6. §. 1.**

tanda statim generalis legum Nat. distinctio, qua in absolutas & hypotheticas communiter discescunt. Quarum illæ simpliciter sine ullo facti seu instituti humani respectu nos obligant, hæc vero institutum ali- quod ex ratione recta ab hominibus profectum præsupponunt adeoque pro conditione ejusdem actiones hominum disponunt. (t)

§. IX. Posteriores tantum ad præsentem disquisitionem, quæ circa rerum proprietatem occupatur, directe faciunt, quia ista proprietates est ex instituto hominum. Quod ultimum, quia fundamentum hujus dissertationis constituit, qua statum naturalem, tam inter singulas olim familias, quam inter Ciuitates & ciuitates hodie occurrentem, (v) bre- vissimis probamus quidque in istis, deinde legibus necessitas efficiat demonstramus.

§. X. Circa rerum initia homines, familiis tantum non Ciui- tatibus distincti, res occupatas promiscuo vsu sibi adplicarunt. (x) Mul- tiplicatis deinceps familiis dum vnus soli prouentu satisfieri non potuit, separatio est instituta, ita, vt quælibet illarum alia loca commoda qua- siuerit, occuparit. Hanc separationem ex conventionem mutua proxime secuta est rerum proprietates, qua quisque proprio Marte partis distinctim & secure frueretur. Nam cum inertes diligentium sudore abuterentur, nihil nisi discordiæ oriebantur, quibus tollendis bonorum diuisio com- mode inseruit.

§. XI. Notandum hic omnino factam esse istam partitionem cum casus necessitatis reservatione, vel expressa, vel subintellecta. Nam minime præsumi potest, alteram alteri quicquam de eo, in quod æquale jus per communionem ante habuit, simpliciter concessisse. Similiter salus generis humani, in tanta, quanta tunc erat rerum penuria, immo segregata

(t) Juxta Grot. L. 1. cap. 1. §. 10. n. 1. & Pufend. L. 2. cap. 3. §. ult. (v) vtrumque latius describit Pufend. L. 2. C. 2. §. 3. sqq. & dis- sert. peculiari de Statu Natur. §. 7. sqq. quam Dissert. loc. cit. operis majoris fere totam inseruit, quod etiam qua dissertationes reliquas separatim extantes plerumque fecit. (x) In commu- nione viuentes juxta Grot. L. 2. C. 2. §. 5. Pufend. Lib. 4. cap. 4. §. 5. & Dn. Thom. Instit. Jurispr. Div. L. 2. C. 10. §. 58. sqq. immo huc facit Hobbi de Ciue Cap. 1. art. 10. & Nota, si cum grano salis accipiatur.

fegregationis finis vltimus, commoda nempe conseruatio, in Domini introductione ejusmodi reſeruationem maxime requiſiuit. (y)

§. XII. Quod autem de ſingularum familiarum proprietate in ſtatu naturali priſtino dictum, id etiam hodie valet de integris ciuitatibus, in quas illæ excreuerunt. Ciuitas enim nihil aliud eſt, quam vniuſium familiarum, non eo ſine facta, vt quid amitterent, ſed vt iura, quæ antea diuiſim habuerunt ſingulæ, nunc coniuſtim, vniuſius inſtar perſonæ (z) eo promptius & efficacius exercent.

§. XIII. Jam igitur poſt inſtitutum humanum modo dictum, valere coeperunt inter homines leges naturales hypotheticæ; de dominio aliorum non turbando; de furto non faciendo, & ſi quæ ſint plures, ſine quibus ſaluberrimum iſtud inſtitutum perſiſtere non potuit.

§. XIV. Verum ex neceſſitatis reſeruatione (aa) quædam iſtis legibus hypotheticis adjecta eſt exceptio, vt tempore neceſſitatis neminem ſtringerent. (bb) Fuit vero & eſt iſta exceptio reciproca, quam alter in me & ego in illum adhibere poſſumus. Quod etiam de Ciuitatibus haud dubie verum eſt, probari donec poſſit, aliquam ciuitatem huic exceptioni expreſſe reſunciante, quod tamen fidem omnem excedit, quia nemo præſumitur fauorem pro ſe introductum ſponte depoſuiſſe.

§. XV. In abſolutis deinde præceptis non minus efficaciam ſuam exerſit neceſſitas, dum vel affirmatiua plane remouet, quia facultas iuxta illa agendi mihi eſt ſubtracta; (cc) vel negatiuorum violationem in neceſſitate forſan a me factam, inuolidam reddit, ita, vt mihi nequeat imputari, quia coactus egiſſe ſum cenſendus. (dd) Interim, quod ſpecialius attinet rerum proprietatem, circa hanc non exerſunt ſe abſoluta præcepta, vtpote quæ ad inſtitutum humanum minime reſpiciunt.

§. XVI. Quibus generaliter deductis ipſam occupationem cum ſuis circumſtantiis iuxta ſingula tituli verba explicabo ejuſdemque enumerabo requiſita.

§. XVII.

(y) addatur Grotius L. 1. cap. 4. §. 7. n. 2. & 3. & L. 2. cap. 2. §. 6. cui tamen contradicit Pufend. L. 2. c. 6. an recte, §. 6. an ſecus alibi demonſtrabo. (z) Vnde rectiſſime Hobbes C. 5. arr. 9. deſiuit ciuitatem quod ſit: Perſona vna &c. (aa) De qua §. 11. (bb) iuxta Pufend. L. 2. Cap. 6. §. 1. in ſin. & 2. nec non Dn. Thomasi Inſtit. Jurispr. diu. L. 2. cap. 2. §. 123. --- 167. collat. Fundament. Jur. N. & G. L. 2. C. 2. §. 18. (cc) Pufend. l. c. §. 2. (dd) Id. L. 1. C. 5. §. 3. ſqq.

§. XVII: Primo itaque licitum dicimus, non quod lege aliqua permissiva est concessum, quemadmodum nonnulli volunt, (ee) ab aliis (ff) tamen refutati; verum, quod nulla lege est definitum, adeoque fieri & intermittere potest sine peccato. (gg)

§. XVIII. Deinde locus medius est, vel vrbs, vel castellum, vel quæcunque alia ciuitatis pars in solo pacato sita, eujus dominus inter partes belligerantes *ad adposu* conseruat neutrique adheret, qui alias solet dici neutralis.

§. XIX, Requisita respectu domini hic obseruanda sunt, (1) vt ipse quacunque de causa impediatur locum medium sine mora ita instruat, quo damna, quæ occupanti ab hoste suo inde certo immittent, anteuertat. Quod enim dum ipsi impossibile, valet Belgarum in simili casu responsum: *Impotentiam vicini non officere debere securitati aliorum vicinorum.* (hh) Immo & hoc (2) necessum, ut loci dominus in eo sit statu positus, qui loco eodem facile possit carere. Alias in pari causa possidentis melior est conditio, (ii) Et omnino *melior causa est suum non iradentis, quam poscentis alienum.* (kk)

§. XX. Porro ipsa occupatio consistit in nuda acquisitione custodiæ, quæ cautioni occupantis sufficiat.

§. XXI.

(ee) *Et quidem inter hos recentiores Mevius in Nucleo Jur. Nat. in §. 11. §. 6. n. 1. sqq. Hertius in Not. ad Pufend. Lib. 1. C. 6. §. 3. L. 2. C. 3. §. 24. Dn. Titius Obseruat. 77. n. 3. Obs. 86. n. 7. ad Pufend. Offic. Hom. & Civ. & alii juxta Dn. Schæpfer Synops. de J. & J. n. 29. (ff) nempe Hug. Grot. L. 1. C. 1. §. 9. n. 1. ejusque fratre Guilielmo. in Enchirid. de princip. J. N. cap. 2. §. 10. Rachelio Diss. de J. N. §. 34. Pufend. l. 1. C. 6. §. 15. Val. Alberti compend. J. N. P. 1. C. 1. §. 3. in primis §. 5. & P. II. proleg. §. 32. sqq. Dn. Thomaf. Fund. J. N. & G. L. 1. C. 5. §. 6. 7. ad. nota Dn. Mølleri inter Illustr. Joan. de Klein Annot. ad Schæpferi Synops. tit. ff. de J. & J. n. 29. verb. Permissivum. (gg) Conser Dn. Thomaf. Jurispr. diu. L. 1. C. 1. §. 146. & L. 3. C. 2. §. 8. sq. aliter tamen Grotius varios liciti significatus adduxit L. 3. C. 4. §. 2. (hh) De quo aliisque circa hanc rem prolixius egit Boxhornius disquisit. Polit. cas. 30. add. Zeuecorius in Not. ad Flori L. 3. C. 7. add. a Dn. Becmanno in Polit. Parall. C. 21. §. 6 (iii) Grot. L. 2. C. 2. §. 8. & Pufend. L. 2. C. 6. §. 6. (kk) *Vt recte Amyneas coram Alexandro dixit. ap. Curt. L. VII. C. 1.**

§. XXI. Requisita ipsius occupationis respectu sunt, (1) vt occupans sit legitime imperans jure belli pacisque instructus, non inuafor vel pyrata, nam huic necessitatis reseruatio (ll) non patrocinator, quia diuisionis conuentione (mm) est exemptus, dum raptio quaesita possidet, nec bella gerit, sed latrocinator.

§. XXII. (2) Occupans sit constitutus in bello & quidem, qua causa & modum iusto. Nam pacis tempore necessitas (nn) exulat & gerens bellum iniustum culpa non caret adeoque nec jura necessitatis (oo) potest praetendere. Immo belli iniustitia omnes inde provenientes actus vitiat, quia talis est effectus, qualis est illius causa.

§. XXIII. (3) Domini consensus in antecessum requiratur tenteturque, an occupatio possit a domino precibus obtineri. (pp) Is enim est domini effectus, ut quisque res suas pro arbitrio dispenset. (qq) Si autem tacet, consensisse est censendus, nam loqui debebat. (rr) Si nude contradicit Dominus, occupans, quo carere non potest, sumit, non per prorteruiam, sed ex necessitate. (ss) Nam dissensus domini hic tantum factus est propter occupantis hostem, ne huic videatur cum occupante collusisse. Serio enim non potest contradicere occupanti, quia ei obstat conuentione antiqua, (tt) quae quemadmodum mutuo consensu introducta, ita quae que non potest solui nisi mutuo dissensu.

§. XXIV. (4) Interim, quando domino contradicente locus medius occupatur, hoc necessum iudico, vt statim se excuset occupans apud eundem indicetque non hostili animo, sed urgente necessitate occupationem factam esse. Hoc enim modo dominus de occupantis integritate certior redditus opus non habet metuere duriora.

§. XXV. (5) Nihil sumatur, quod non sit necessarium ad cautionem, puta, nuda loci custodia, relicta domino jurisdictione, fructibus & quaecumque praeter custodiam ad dominium pertineant. (vv)

§. XXVI. (6) Ad haec requiritur circa loci medii occupationem, vt defuit alia occasio praecauendi, ne hostis locum istum occupet damnaque inferat.

B

inferat.

(ll) §. XI. expressa (mm) de qua vid. §. 10. (nn) §. 7. descripta. (oo) quae sine culpa mea adesse debet §. eod. (pp) Grot. l. 2. Cap. 2. §. 7. (qq) Pufend. L. 2. C. 6. §. 5. (rr) confer. Idem L. 3. C. 6. §. 2. (ss) ita Xenophon. in responso ad Sinopenfes: οποι δ' αν ελθοντες αγοραειν ερχομεν, αν τε εις βαρβαρον γην, αν τε εις Ελληνίδα, εκ υβρει, αλλ' αναγκη λαμβανομεν τα Διπληδενα. (tt) quam vide §. 11. & 12. (vv) juxta Gratium L. 2. C. 2. §. 10.

inferat. Secus recte monet Henninges: (xx) *Satis esse per extruccionem aduersorum munimentorum, aut aliarum molitionum, ingruens prauertere periculum, quam occupatione.*

§. XXVII. (7) Fiat occupatio animo reddendæ custodiæ simulatque necessitas illa cessauerit. (yy) Nam jus hoc ex necessitate non est plenarium, sed restrictum cum onere restituendi. (zz)

§. XXVIII. (8) Dominum a damnis, quæ ipse forte dederit præter intentionem, quantum potest immunem præstet occupans, quod fit dum illa satisfaciendo reparat. Secus vero se res habet, si ipse dominus, ante occupationem, passus sit hostem occupantis in solo suo grassari, nam sic per occupationem locorum mediorum commodum sentit, ne alter eum magis vexet. Valet igitur tunc fœderatorum Belgarum responsum, quod legatis Cæsareis, loca, quæ isti in Germania occuparant, & damna reposcentibus dederunt: *merito hosti & damna imputari & occupata defensionis loca, qui prior solo pacato intulisset exercitum. Id si Hispano condonaretur, at certe sibi noxium esse non debere, quod suasset necessitas.* (aaa)

§. XXIX. Verum, an minuta quoque damna, quæ sæpius acciderent solent, refarcit occupans? Omnino, si modo ratio illorum constet. Nam quemadmodum transitus per solum pacatum innoxius esse debet, (bbb) ita etiam occupatio mediæ loci. Si vero quorundam damnorum ratio iniri nequeat, infortunio ista sunt imputanda, contingere enim vix potest, ut inter belligerantes mediæ ab omni plane damno sit immunis. Verissima Alphonfus Arragoniæ Rex, *medios, inquit, in bello esse similes iis, qui mediæ adium contignationem inhabitant, & ab inferioribus sumo excitato, a superioribus locio effuso infestantur.* (ccc)

§. XXX. (9) Locus mediæ nullo quidem modo est cogendus, ut quicquam det inuitus; (ddd) Interim, si, quibus ille carere potest, maxime indigeat occupans, hæc eadem accipere soluto pretio potest, etiam ab invito

(xx) in *Observat. ad Grotii loc. modo cit. p. 373.* (yy) *juxta Grot. l. c. (zz) conf. Idem l. c. §. 9. (aaa) vid. Grot. l. 9. Hist. Belgic. ad An. MDC. (bbb) conf. Fritsch. Diss. de Transitu Militari & Grot. l. 2. C. 2. §. 13. L. 3. C. 17. §. 1. & 2. n. 1. 2. nec non Pufend. L. 3. C. 3. §. 5. (ccc) referente Magnif. Sam. Schelguigio in diss. de legibus inter arma loquentibus §. 8. add. Bæcleri diss. V. ad Gr. Quies in turbis f. 186. sqq. & Henniges ad Grot. l. 3. C. 17. §. 3. p. 1027. sq. (ddd) *Ita Xenophon expeditioni libro VI. μη ἀναγκάζειν πόλιν Φιλίαν ὅτι μὴ αὐτὸν ἰβελοντες διδοίεν.**

inuito. Quia par hic est necessitatis ratio in ceptione, quæ fuit in occupatione, & qui innoxiam utilitatem præterdit injuriam facit nemini. (eee)

§. XXXI. (10) Loci occupati, si quæ exercentur, commercia omnibus modis conferuet occupans atque ab hostium suorum direptionibus liberet, quod commode fieri potest, si negotiorum gratia inde peregrinantes milite tueatur, vel si cum hoste suo exercitium commerciorum ab utraque parte liberum paciscatur. Ratio, quare de loci occupati commerciis potissimum sollicitus esse debeat occupans, hæc est, quia illorum damna, vel difficulter, vel plane non sunt reparabilia. Exemplo esse potest Antwerpia, cujus commercia semel bello turbata nunquam restituta sunt in integrum, sed suo interitu initia nascendi dedere Amstelædamsibus. Taceam alia.

§. XXXII. (11) Occupans militi in præsidium loci mediidato, de rebus necessariis prospiciat soluatque stipendia, ne ciues loci istius male habeant inedia aut inopia coacti. Vigeat inter illos disciplina militaris ac instar legis valeat istud Aurelianum: *Nemo pullum alienum rapiat: ouem nemo contingat, puam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum nemo exigat*; simulque hoc Cassiodori: *Viuant cum prouincialibus iure ciuili: nec insolecat animus, qui se sentit armatum, quia clypeus ille exercitus nostri quietem debet prestare R.* Quæ omnia fieri facile possunt, si occupans loco occupato præfectum constituat, in quem elogium quadrat, quod Lampridius Alexandro Seuero Parthicam propter expeditionem attribuit: *Tanta disciplina, tanta reuerentia sui egit, ut non milites, sed senatores dicerentur: quocumq; iter milites faciebant, tribuni ac centuriones verecundi, milites ambiles erant: ipsum vero ob hæc tot ac tanta bona prouinciales vt DEum suscipiebant.* (fff)

§. XXXIII. His requisitis plura addit Pufendorfius, (ggg) nempe, (12) *Domino prius denunciandum, vt ipse etiam atque etiam locum custodiat,* (13) *oblatis quoq; ad eam rem sumptibus,* (14) *aut, si malit, inuicem eundem ad recipienda præsidia faciat.* (15) *Item vbi sumptus in eiusmodi loci munitionem facti fuerint, non teneri dominum ad eos refundendos, nisi ipse vt iq. eosdem facturus erat;* (16) *nec obtentu factorum sumptuum vltra necessitatem isti loco incumbendum; cum alter per eos sumptus non istius loci meliorationem, sed propriam defensionem spectauerit.*

§. XXXIV. Restat necessitas vltimo loco paucis indicanda. Venit autem

B 2

ca.

(eee) *confer Grot. L. 2. Cap. 2. §. 11. & Pufend. L. 2. C. 2. §. 3.* (fff) *loc. a hoc §. adducta & plura adhuc vide ap. Grotium L. 3. C. 17. §. 3. n. 2. & 3. (ggg) L. 2. C. §. vlt.*

ea hic in censu, quæ immediate cum bello, quod geritur, connexa, occupanti sociisq; suis maxima damna & pericula minatur. Qvalis est, dum occupans valde probabiliter certisq; indiciis intelligat, hoste suu posse imo velle istum locum occupare indeq; irreparabilia damna dare, nisi præveniatur. (hhh)

§. XXXV. Requiritur hic: (1) ne fingatur necessitas ex prætextu sola vtilitate nixo. Bene Lipsius: (iii) *Illud saltem dederim, principem in rebus valde afflictis & adversis non speciosa dictu, sed usu necessaria sequi. Non enim hic augendi, sed sui servandi causa adest. Solent equidem pessima sæpe molimina glaucomate fictæ rationis belli (raison de guerre) (kkk) obduci, vt speciem quandam recti apud homines habeant, verum (lll) Deus igneo suo spiritu omnes istas humanas argutiolis diffat, quasi ventus folia aut peniculum testorium.* (mmm)

§. XXXVI. Nec (2) deriuanda necessitas ex metu. Hic enim si necessitatem iustam constitueret, continuæ inter rerum dominos orirentur occupationes, immo omnium in omnes bella. (nnn) Lipsius occupationem ex metu factam inter *honestæ scelera* videtur referre. (ooo) Cui subscriberem, si ad occupantem applicari posset illud Ciceronis, (ppp) quo fatentur: *plurimas injurias a metu proficisci, cum is, qui nocere alteri cogitat, timeat, ne si id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo.*

§. XXXVII. Juxta modo adducta requisita, si instituat occupatio mediæ loci, nil vetat eandem licitam adfirmare; (qqq) Si vero vnum vel alterum omittat occupans, quantuncque etiam sit inobediens DEI cuius propter Legis Naturalis, quæ læsionem omnem vetat, violationem, divinam pœnam meretur. Denique objectiones contra licitam occupationem a summis Moralistis prolatas vna cum responsionibus facili negotio hic adduxissem, quia plene elaboratas jam habeo; sed hac vice brevitatæ studio istas omisi finemq; feci dicendorum.

S. D. G.

(hhh) *conf. §. 7. (iii) L. 4. Polit. c. 14. n. 90. juncto Reinb. Theatr. Prud. Eleg. p. 1458. sqq (kkk) quæ si iusta est subscribit ei Kulpis Colleg. Grot. p. 39. th. 5. add. Vl. Obrechtii Diss. de Rat. Belli (lll) loquente iterum Lipsio ib. n. 92. (mmm) vel vt Turnebus in Plaut. Mil. act. 1. Sc. 1. v. 18. (vnde ista Lipsii sunt de prompt. a) legit panniculam testoriorum conf. Reinb. ad Lips. l. c. (nnn) Quælia ex metu demonstravit Hobbes statum mere naturalem depingens Elem. de Ciue c. 1. art. 2. & Not. verb. mutuo metu. (ooo) l. c. n. 85. & 86. (ppp) I. de Offic. cui junguntur egregia contra e. jusmodi metum loca apud Grotium L. 2. c. 1. §. 5. n. 1. (qqq) eo autem sensu, quo licitum explicauimus §. 17.*

ULB Halle
003 632 89X


3



f







18
-12
37
1722/1.
7 //

LICITAM ESSE
MEDII LOCI OC-
CUPATIONEM

EX

NECESSITATE
FACTAM,

CONSENSU FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,

PRÆSES

M. JOHANN ARND,

Dantiscanus,

&

RESPONDENS,

PAULUS MATTHIAS Wundsch /


Meva-Pruffus,

L.L. & Philof. Cultor.,

In Auditorio Maximo

ANNO M DCC XII. d. JUNII

juxta Juris Nat. principia
defendent.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Amplissimi
Senatus Typographi,